

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Conradi Samvelis Schvrzfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

LXI. Ex Iisdem

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

## LXI. EX IISDEM.

**P**RIMA scribendi, componendique res Ecclesiasticas initia facta sunt a defensionibus et apologiis, quibus occasionem causamque dabant, vexationes et persecutions Imperatorum, cultibus impiorum idolorumque veneracioni deditorum.

§. II. Inter hos primus fuit QUADRATUS, Apostolorum discipulus, ac deinde ARISTIDES Atheniensis, quos reliqui Patres agmine facto fecuti sunt, quorum industriam accedit ambitio, et insolentia gentilium Philosophorum.

§. III. Hos quidem omnes antevertit Clemens Romanus, sed eius libri, quibus Petri Apostoli ~~magis~~ descripsit, omisi sint, ac dudum iniuria temporum perierunt. Similiter Papiae scripta fabulis plena interciderunt.

§. IV. Inter caeteros enituerunt Clemens Alexandrinus, et Julius Africanus, quorum exemplo incitatus est Seculo IV. Eusebius, vir admodum diligens et eruditus, et quod caput rei est, in Constantini Magni Imperatoris tabulario versatissimus.

§. V. Caeterum inter Concilia Novi Foederis antiquissimum, et a primis Ecclesiae Doctoribus Apostolis institutum, habitumque est Hierosolymis, quod rationem regulamque conciliarum deinceps habendorum praebet.

§. VI. Nam de eo concilio, quod Apostoli in terrarum orbem discessi ri habuerint, atque in eo Symbolum Apostolicum composuerint, nihil affirmat Historia Divinior, et diu post Apostolos conscriptum est, et primis a N. C. seculis est recentius, neque in veris Patrum scriptis, neque in antiquis conciliis et Synodis memoratur.

§. VII. Quo tempore ius suffragii erat omnibus, nec bresbyteri tantum, sed etiam Diaconi pari iure aderant, censebant, ac decernebant.

§. VIII. Neque tunc concilia unius arbitratu cogebantur, neque ullus inter Apostolos primatus erat, nec Patriarchatus nomen vel in sacro ordine sub id tempus audiebatur, multo minus a quoq; exercebatur.

§. IX. Sed ubi Imperatores Christianam doctrinam sunt amplexi, potestas indicendi concilia tantum ad eos spectat, et iure summi sacrorum imperii administratur.

§. X. At enimvero Petrus ratione potestatis et suffragii inter Apostolos nihil praecipuum habuit, ac propter solam aetatis prerogativam nullam obtinuit sacri ordinis Monarchiam.

§. XI. Ne-

§. XI. Neque vero domicilium Romae habuit, aut in urbe rerum domina Episcopatum gessit, neque etiam si gesisset, ideo primum potestatis, multo minus sacrum imperium, aut Papatum fundavit.

§. XII. Fuit autem Petrus Babylone, et sine figura Babylonem memorat, et sine allegorico loquendi genere appellat.

§. XIII. Diversa Apostoli Iohannis ratio est, qui initium secundi seculi attigit, et parturientis Antichristi monstrum coelesti providentia afflatus praevidit, et *ἀληθινὸν* Babylonem dixit, ac Romanam denotavit.

§. XIV. Ex his sequitur, Papatus originem non esse iuris Divini, et si in ea afferenda facile conveniunt Pontificii Doctores, sed de EXTENSIONE plerique inter se dissident, et regimen sedis Romanae mere monarchicum esse negant, quod iamdiu Ecclesiae Gallicae moliuntur.

§. XV. Igitur simplici et Apostolico aeo non convenit ambitiosa Primitus affectatio, et *ἀληθινόν* nomen apud Ignatium non evincit splendorem Hierarchiae, sed suppositorum est, atque adeo hoc scriptoribus Apostolici aevi ignotum est, ut quoque vocabulo *μοναρχίας* abstineant, et tumorem stili pariter ac typhum seculi quam diligentissime vitent.

§. XVI. Quo indicio colligimus scriptorem Constitutionum Apostolicarum, quae Clementi tribuuntur, esse infra Apostolorum aevum, et a simplicitate priorum seculorum recedere, et characteri optimae, purissimaeque Ecclesiae non convenire.

## LXII. THEMATA EX HIST. CIV. VARIA.

**R**omanorum quidem mysteria literis prodita, et Romanorum religione culta sunt, sed Eleusinia finibus Graeciae se continuerunt, et a Quiritium civitate, qua Claudio Imp. donare voluit, longissime abfuerunt. Gravis idem, ac Romanorum Graecorumque rituum peritus Orator Cicero, hoc ita confirmavit, ut nullus dubitandi locus sit, in libro II. de legibus.

§. II. Sed, ut quorundam opinio fert, dissidet a nobis augustae historiae scriptor Tranquillus, fide praestans, ac diligentia consignandi Imperatorum acta praeclarus, qui secus tradit, et auspicio Claudi recepta in urbem Eleusines sacra affirmat, in Claudio c. 25. Cum quo facile in gratiam redeamus, si verba historica de proposito atque confilio Claudi, qui Eleusinia admittere in urbem voluit, non de exitu effectuque rei destinatae accipiuntur. *Sacra Eleusina (Eleusinia) etiam transferre ex Attica Romam conatus est.* Nullam haec, ne speciem